

quod damnum cum aliis sine conspiratione inferentes, ad tale nocumentum fere numquam attendunt ideoque, in foro conscientiae, illud reparare non tenentur.

Quare universe, quotienscumque dubium probabile manet de qualibet condicione ad restitutionis obligationem requisita, saltem probabilis sententia ab ea stricte imponenda excusat.

522. II. De errore in damnificatione.

1° Qui errore invincibili existimat multo minus esse damnum quod infert quam revera sit, probabilius tenetur tantum ad compensandam partem damni quam apprehendit. (S. Alph. n. 613) Ratio est, quod ad restitutionis obligationem requiritur culpa theologica; huic ergo debet respondere obligatio restitutionis. Culpa autem theologica non major est quam quae ex errore invincibili apprehenditur; ideo neque amplior esse potest restituendi obligatio. Excipe tamen (quod saepe continget), si damnificator valorem hunc majorem, saltem in confuso, apprehenderit et nihilominus rem hanc in concreto destruxerit.

2° Potior difficultas occurrit quando erratur circa personam cui damnum infertur, puta si quis, volens pulvere "dynamitico", domum Petri destruere, eundem pulverem apponit domui Pauli eamque destruit, vel si quis, intendens Petrum occidere, ex errore in Paulum explodit. Quae de re haec videntur tenenda:

a) Certe restituendum est quando ratio mali inferendi non desumitur e persona, sed aliunde, ita ut error fuerit mere concomitans, ex. gr. si quis sacerdotem ex odio religionis occidere volens, ferit Paulum sacerdotem quem putat esse Petrum pariter sacerdotem.

b) Certe restituendum est, ubi cura sufficiens adhibita non est ad errorem vitandum; quia sic damnificator saltem confuse advertit se alii cuiuscumque damnum inferre posse, et nihilominus absolute rem destruxit vel hominem occidit.

c) Quando damnificator erat animo determinatus ad nocendum tantum uni personae, cui revera non nocuit, et invincibilem errorem admisit, duplex datur sententia probabilis. Sane, inspectis tantum rationibus, probabilior videtur ea quae etiam tum ad restitutionem obligat: nam damnificator injuste, efficaciter et cum culpa theologica damnum intulit: error autem ille circa personam non videtur afficere rei substantiam. Ita Ball. P. (n. 249 seqq.); Lehm. (I. n. 977); Marres (I. 2. n. 68), etc. Attamen saltem extrinseca probabilitas agnoscenda est sententiae quae in hoc casu a restitutione facienda excusat, quia ad hanc obligationem inducendam requiritur ut actio sit formaliter injuriosa in eum qui revera laeditur: hic autem actio damnosa, erga eum qui revera detrimentum patitur, materialem tantum injuriam continet. Ita Lugo, (disp. 17. n. 77); S. Alph. (n. 628 seqq.); D'Annib. (II. n. 232).

Hic casus implexus confundendus non est cum casu damni quod mere per accidens ex actione peccaminosa vel etiam injusta oriatur, ex. gr. si quis, volens occidere Titium inimicum, globulo ignito ferit Sempronium quem adesse minime adverterat. (Gury, I. n. 663) In hoc enim casu restitutionem non esse faciendam satis convenit.

3° Quando damnificator e duabus rebus ad eundem dominum pertinentibus unam vult destruere, alteram vero per errorem de facto destruit, videtur obligandus ad restituendum pro re quae minoris est valoris. Exemplo sit qui, volens capram Petri globo trajicere, equum ejus trajicit et occidit. Ratio est, ut ait D'Annib. (I. c. nota 13), quia tunc injuria tum formalis, tum materialis in eundem dominum cadit: injuria enim proprie domino, non rebus ipsis infertur. Contradiciunt tamen quidam, ut Gury (n. 448), quia hoc damnum dici potest prorsus per accidens evenisse: nec prava intentio eidem domino nocendi facit ut rei prorsus ignoratae damnum voluntarium fiat. Sed haec ratio parum probabilis videtur: nam verum manet, saltem quoad valorem in quo damnificari intendebatur, nihil deesse ex requisitis ad restitutionem urgendam.

CAPUT III.

DE RESTITUTIONE QUAE ORITUR EX RE ACCEPTA.

§ I. PRINCIPIA GENERALIA.

523. Praecipua axiomata quae in hoc argumento adhiberi solent, sunt sequentia:

1^{um} *Res clamat ad dominum*. Sensus est rem quae ad aliquem, jure proprietatis, pertinet, servare ubique hanc connexionem qua destinatur ut in ejus utilitatem adhibeatur, ac proinde semper competere domino jus ut eam iterum apprehendat, ei vero qui eam detinet incumbere obligationem ut eam domino reddat. Videndum tamen num forte, per praescriptionem vel similem legis civilis dispositionem, vinculum inter rem et pristinum dominum jam abruptum fuerit. Cfr. dicta n. 489 seqq.

2^{um} *Res fructificat domino*. Cfr. dicta n. 487. Hoc tamen axioma nequit extendi ad ea quae dicuntur quidem fructus industriales, sed hoc fructuum nomine improprie tantum designantur, cum in iis obtinendis res minimam partem habeat, ex. gr. salarium sartoris qui acu alieno vestes confecit.

3^{um} *Res naturaliter perit domino.* Nempe, si res perit vel physice, ex. gr. moriente equo, vel moraliter, ex. gr. frumento in profundum maris demerso, damnum inde secutum ferre debet dominus. Sublata enim re quae ipsius juri pro fundamento erat, jam et ipsum jus esse desinit. Fieri tamen potest ut maneat obligatio restituendi si res adhuc in aequivalenti habetur, puta vacca aliena in vacca propria, quae ejus loco fuisset occisa.

4^{um} *Nemo ex re aliena injuste locupletari debet.* Ita fere Reg. Juris 48^a in 6^o. Hoc velut corollarium est axiomatis 2ⁱ. Regula tamen ista coartanda est ad ea quae, stricte ex ipsa re aliena provenientia, alterius divitias augent, puta per rei alienae venditionem. Neque extendenda est ad ea quae tantum occasione rei alienae acquiruntur, quales sunt fructus industriales. Cfr. Gury, I. n. 634; Lehmk. I. n. 944.

Horum principiorum applicatio proprie locum habet in eo qui rem alienam bona fide detinet: is enim unice e re accepta tenetur. Qui autem mala fide possidet, assimilandus est injusto damnificatori, ideoque, praeter obligationem reddendae rei alienae a se possessae, damnum injustum reparare debet. (n. 529)

Tandem qui dubia fide possidet, nunc ut possessor bonae fidei, nunc ut possessor malae fidei tractandus est. De triplici illa condicione eorum qui res alienas detinent singillatim dicetur. Ad intellegendos terminos bonae et malae fidei recole notiones datas n. 491.

§ 2. DE POSSESSORE BONAE FIDEI.

524. Claritatis gratia, tres hypotheses faciemus circa rem alienam eo tempore quo possessor bonae fidei certior fit eam ad alium dominum pertinere: scil. fieri potest ut res adhuc in ejus possessione versetur, vel ut perierit, vel ut in possessionem tertii, puta per donationem vel venditionem, transierit. Quae hypotheses se junctim considerandae erunt. Cfr. Lehmk. I. n. 946 seqq.

De casu quo possessor bonae fidei certior quidem fit rem esse alienam, sed nescire potest ad quem pertineat, nihil peculiare addendum. Manifeste enim idem dicendum est ac supra (n. 485) dictum est de rebus inventis quarum dominus detegi nequeat.

I. Si res aliena adhuc in manibus possessoris bonae fidei versatur, haec praecipue sunt attendenda:

1^o Si rem *titulo gratuito*, puta per donationem, accepit, eam quamprimum domino reddere debet. Ratio est, quod res clamat ad dominum.

2^o Si rem bona fide *a fure emit*, varia est solutio prout dominus jam

actu rem suam repetit vel nondum eam vindicat. Antequam eam repetat, licet possessori bonae fidei rem furi restituere ut ita pretium a se datum recuperet, dummodo nulla alia via suppetat ad se indemnem servandum. Hanc sententiam S. Alph. (l. 4. n. 569) *forte probabiliores* vocat, praesertim propter duas rationes. Prior est, quod non teneris rem domino servare cum tuo damno et ideo potes permittere ut fur rem illam recipiat ne pretium tuum amittas, eo fere modo quo rem inventam, quam sine damno tuo servare nequies, posses in eo loco reponere in quo eam reperisses. Posterior S. Alph. ratio est, quia, cum quisque jus habeat ad sua bona recuperanda, nemini interdicitur actio illa, quae per se est necessaria et directa ad proprium damnum reparandum, licet indirecte et per accidens damnum alteri sequatur. Jamvero in casu emptor habet jus ad rescindendum contractum ut suum pretium recuperet, nec supponitur aliud dari medium quo illum rescindat quam ut rem furi restituat. Cavendum tamen ne inde concludatur licere possessori bonae fidei rem alienam in proprios usus convertere vel vendere, si praevidet se nulla alia ratione pretium a se datum recuperare posse, quando rem domino restituerit: hi enim sunt actus proprietatis quos in rem alienam exercere non licet. Postquam vero dominus rem suam repetiit, omnino ei restituenda est, neque, spectato solo jure naturali, datum pretium a domino repeti potest. Nam ille juste repetit rem suam, nec quidquam, sive ex delicto, sive ex contractu possessori debet. (Lugo, disp. 17. n. 1) Is tamen in pluribus regionibus, ob legis civilis dispositionem (n. 492), probabilius potest a domino exigere ut sibi pretium reddatur quando rem emit in mundinis, in licitatione vel a mercatore qui res ejusdem speciei vendere solet.

525. II. Si res aliena periiit quando dominus agnoscitur, attendendum est ad rationem qua perierit:

1^o Si res periiit *apud bonae fidei possessorem*, is per se ad nihil tenetur. Nec distinguendum utrum culpabiliter an inculpabiliter perierit. Nam, etiamsi quis omnino prodige rem consumpsit vel destruxit, formalem injustitiam non commisit: siquidem rem suam esse opinabatur. Ad restituendum ergo non tenetur propter injustam damnificationem, nec propter rem acceptam, siquidem haec jam non existit. (Lugo, l. c. n. 18) Excipe tamen, si rem destruendo vel consumendo factus est locupletior, et sic eam adhuc in aequivalenti detinet, puta dum bovis alieni carnem vendit vel ipse manducat, parcendo bovi proprio.

Similiter, saltem probabilius, ad nihil restituendum tenetur si res, quam titulo oneroso obtinuit, periiit *apud alium cui eam dono dedit vel sine lucro vendidit*. Ita enim nullatenus ex illa re factus est ditior, neque ejus interitus causa formaliter injusta fuit. Cfr. n. 526, 4^o.

2º Si res fortuito casu perit *apud emptorem* cui eam vendidit possessor bonae fidei qui eam titulo gratuito acquisivit, DD. inter se maxime discrepant. Plerique, ut Gury (I. n. 641), Carrière (de Just. n. 1047), D'Annib. (I. n. 239. nota 8), opinantur pretium esse reddendum emptori, quia emptio erat nulla ac proinde pretii dominium non transtulit, vel saltem emptor jus habet ad pecuniam suam recuperandam. Alii censent pretium illud domino restituendum esse: quippe qui, cum injuste spoliatus sit, jus habet ut indemnus fiat; res autem sublata, cum deficiat, compensanda erit pretio quo repraesentatur. Nec desunt qui opinentur pretium servari posse a possessore bonae fidei. Rationem dant: quia nemo jus habet ad illud sibi vindicandum. Non dominus: nam res naturaliter ipsi periit, eaque deficiente, jam pretium eam repraesentare desinit (quod tamen non censemus admittendum). Non emptor: quia venditor se erga eum tantum obligavit ad eum indemnem servandum in casu evictionis, quae hic non obtinuit. Huic ultimae sententiae astipulatur Lehmkühl (I. n. 951) pro casu quo res apud dominum pariter peritura erat.

Ideo, cum non constet nisi probabiliter pretium illud esse domino vel emptori restituendum, non esset inquietandus qui nollet se pecunia sine injuria acquisita spoliare.

525. III. Si res aliena, apparente domino, reperitur in possessione tertii, haec sunt praecipue animadvertenda:

1º Si possessor bonae fidei rem alienam *titulo gratuito* in tertium transtulerit, ad nihil restituendum tenetur, nisi per donationem aliquid lucratus sit, ex, gr. parcendo rebus propriis quas secus dono dedisset. Ex caritate autem tenetur monere donatarium ut rem domino reddat, vel dominum ut rem suam recuperare possit. Ab hac tamen obligatione solvitur ubi sine gravi incommodo monere nequit.

2º Si eam a se emptam in tertium transtulit *titulo oneroso*, varia erit pro variis hypothesebus solutio:

a) Dominus jam rem suam repetit sive privatim, sive judiciali evictione. Tunc venditor emptori, rem restituenti, pretium reddere tenetur. Ratio est, quod per venditionem se implicite obligavit ad servandum indemnem emptorem in casu quo res vendita, utpote aliena, per evictionem a domino repeteretur.

b) Emptor sponte rem domino nondum repetenti restituit. Similiter erit pretium emptori reddendum, propter obligationem in contractu venditionis implicitam. Attamen si emptor hanc restitutionem peragit, venditore non admonito, ideoque causa est ob quam iste nequeat pretium a se datum recuperare, priorem contractum a se initum rescindendo, pretium ei reddendum non est. Rationem hujus exceptionis affert Lugo

(disp. 17. n. 109): " Quia damnum quod tu ei intulisti vendendo rem alienam, ipse tibi vicissim intulit, sua accelerata restitutione impediendo ne pretium tuum recuperare posses. "

c) Dominus nequit rem suam recuperare, puta quia jam emptor non comparet vel frustra ad eam reddendam compellitur. In illo casu probabilius non tenetur venditor pretium domino restituere. Ratio est, eum vere acquisivisse hujus pretii dominium, nec factum esse ditioem, proinde nihil alienum detinere. Venditio enim rei alienae probabilius transfert pretii dominium, quamvis sit rescissioni obnoxia: et in hoc sensu licet etiam intellegere art. 1599. C. C. quo alienae rei venditio irrita declaratur. Neque inde sequitur damnum per se domino subeundum esse: manet enim ipsi actio contra furem vel actuaalem detentorem. Cfr. Gury, I. n. 638 et Lehmk. I. n. 950. Alii tamen, ex, gr. Carrière, n. 1048, censent pretium esse tribuendum domino.

3º Si possessor bonae fidei rem alienam, *titulo gratuito acceptam, tertio vendiderit*, in casu evictionis vel spontaneae restitutionis ab hoc emptore factae, semper debet ipsi pretium acceptum reddere. Ad hoc enim implicite in contractu venditionis se obligavit, neque ullum damnum proprium hic timendum est. Ubi vero res ipsa a domino recuperari nequit, pretium illi a venditore est rependendum. Regula enim generalis est, ne aliquis ex re aliena cum domini jactura locupletetur, siquidem res magis obligata est domino quam aliis, atque adeo magis debet pretium et lucrum domino parere ut eum indemnem servet quam aliis. Ita Lugo (disp. 17. n. 26) aliique fere omnes.

4º Si possessor bonae fidei majore pretio *rem alienam vendidit quam emerat*, tenetur certe ad hunc excessum domino reddendum, quando augmentum pretii inde oritur quod res in se ipsa crevit, ex, gr. quod equus adolevit; incrementum enim ipsum manifeste ad dominum pertinebat. E contra, certe sibi servare potest pretii augmentum quando ex ipsius industria oritur, ex, gr. quod se in alium locum ad venditionem peragendam contulit. Probabilius etiam servare potest augmentum quod sine peculiari industria obtinuit: hic enim non videtur fructus rei naturalis vel civilis, sed potius per accidens, occasione rei alienae, acquisitus.

Huic doctrinae suae Lugo (l. c. n. 23) hanc limitationem apponit: domino, non recuperanti rem suam, restituendum esse excessum pretii quo res vendita est, quando, tempore quo eam vendidit, illud erat pretium justum medium ejusdem rei: secus enim ex re aliena, cum domini detrimento, locupletaretur. Sic qui emit triticum furtivum, quando viliori pretio vendebatur, et postea, crescente pretio tritici, illud in eodem loco, absque ulla industria, pretio medio vendidit, tenetur ad illum

excessum domino tradendum, cum ex ipsa re enasci videatur; posset tamen, si id mallet, triticum ejusdem qualitatis eidem restituere.

5° In his tamen solutionibus attendendum num aliquid mutandum sit ob dispositiones C. C. aa. 2279 et 2280 de rebus mobilibus furtivis, quando emuntur in nundinis, licitationibus, etc. Cfr. n. 492.

527. Haec de restitutione rei principalis sufficiunt. Manent autem breviter solvendae duae quaestiones accessoriae: una de fructibus rei alienae, altera de expensis a possessore bonae fidei in eadem re factis.

I. De fructibus.

1° Possessor bonae fidei certo sibi retinere potest illos fructus quatenus ipsius industriae respondent: quoad hanc enim partem non oriuntur ex ipsa re, sed potius, occasione rei, e possessoris labore et peritia. Ideo plene servari possunt fructus *mere industriales*, ex. gr. tabula alieno penicillo picta, soluta tantum aestimatione usus instrumenti alieni. E fructibus autem in quibus natura cum industria concurrat et qui idcirco nunc *mixti*, nunc *naturales* vocantur, servare licet id quod labori respondet. Sic qui segetem in alieno agro sevit ac messuit, messem, soluto pretio locationis agri, retinere potest.

2° Reliquam fructuum partem, utpote ex ipsa re oriundam, possessor bonae fidei per se deberet domino restituere: res enim domino fructificat. Probabilius tamen, ex jure nostro (C. C. a. 549), possessor bonae fidei fructus omnes, durante bona fide perceptos, servare potest. Is autem, e sensu C. C. (a. 550), censetur bonae fidei possessor qui rem possidet tamquam proprietarius, titulo de se apto ad dominium transferendum et cujus vilium ignorat. Quare ii tantum hoc beneficio legis fruuntur qui possident vi tituli saltem putativi, qui natura sua aptus sit ad dominium transferendum, ex. gr. per donationem vel venditionem, seu scripto, seu facto tantum peractam, minime vero qui possident per conductionem, commodatum, etc. (1) Fructus naturales percipi censentur quando colliguntur, ex. gr. messes ubi caeduntur; fructus civiles de die in diem acquiri censentur. (C. C. a. 586) Hanc dispositionem juris civilis etiam in foro conscientiae valere, fere omnes recentiores AA. opinantur, quia legi civili competit jus transferendi domini ad commune bonum obtinendum; hic autem sat magna adest utilitas, scil. ut vitentur lites implexae de fructibus illis reddendis et ut faveatur possessori bonae fidei, qui ex illa improvisa restitutione quandoque positivum damnum pateretur. Contradiciunt tamen plures, hanc dispositionem

(1) Cfr. de sensu hujus legis Baudry-Lacantinerie, *Précis du Droit civil*, t. I. n. 1270 seqq. (3^e editio, 1888)

juri naturali repugnare existimantes, quatenus, sine justa ratione, tribuit possessori fructus nondum consumptos. Ita Ball. P. (n. 221) et Lehmk. (I. n. 948), quibus consentiunt quidam jurisperiti, ut Laurent (Cours élém. de Droit. civ. t. I. n. 537). (1)

528. II. De expensis.

Expensae distingui solent in *necessarias, utiles et voluptuarias*. Necessariae dicuntur eae sine quibus res interiisset vel deterior facta esset; utiles, quae ejus fructus naturales vel civiles augent, ex. gr. labores suscepti ut ager a nimia aqua liberetur; voluptariae, quae speciem tantum exornant, ex. gr. picturae muros decorantes.

Jamvero necessarias dominus compensare debet (a. 1381), immo et utiles, cum ampliorem rei valorem nequeat sine compensatione a possessore exigere. Voluptuarias vero possessor repetere non potest, sed tantum tollere, si a re principali separari possunt; quodsi separari, saltem utiliter, nequeunt, ut picturae a pariete, jure stricto relinquendae sunt domino: is enim cogi nequit ad solvenda ea quae veram utilitatem non afferunt. Cfr. D'Annib. I. n. 243.

Attamen ex aequitate naturali manifestum est, non posse possessorem a domino repetere expensas factas ad obtinendos illos fructus quos ipse sibi retinet. (Waffel. de Just. II. n. 241)

§ 3. DE POSSESSORE MALAE FIDEI.

529. Possessor malae fidei regulariter ex duplici titulo tenetur ad restitutionem domino rei alienae faciendam: ex re accepta et ex injusta acceptione. Ob priorem titulum, habet easdem obligationes quae supra de bonae fidei possessore explicatae sunt; ob posteriorem titulum, habet omnes obligationes injusti damnificatoris.

I. Rem ipsam adhuc exstantem domino quamprimum restituere debet. Si vero eam jam non possidet propter aliquam actionem suam, ex. gr. quia eam donavit vel destruxit, aut propter aliquam omissionem culpabilem, ex. gr. quia non curavit ut alimenta equo praeberentur, pretium ejus domino rependere debet, etiamsi inde ditior non evasit.

Tandem si ipsa res casu periit, videndum utrum consequenter ad injustam detentionem an independenter ab illa perierit. Si *consequenter*,

(1) E communi Theol. sententia, inspecto Jure naturali et Romano (quod de hoc argumento satis obscurum est), restituendi sunt fructus naturales, mixti et civiles adhuc exstantes, deductis tamen expensis propriis et aestimatione laboris seu industriae. (S. Alph. n. 610)